CONCIO

104.e 17
13

AD

CLERUM LONDINENSEM,

Collegii Sionenſis Sodalitium,

HABITA

In Eccleſiâ S. *ELPHEGI*,

Apr. XXVI. 1743.

A *JOSEPHO TRAPP*, S.T.P.

Dicti Collegii tunc temporis Præſide.

Rogatu Auditorum Edita.

LONDINI:

Impenſis S. AUSTEN, in Vico *Newgate-Street*.

MDCCXLIII.

CONCIO

AD

CLERUM LONDINENSEM,

Collegii Sionensis Sodalitium.

HABITA

In Ecclesiâ S. ELIPHEGI,

Apr. XXVI. 1743.

A JOSEPHO TRAPP, S.T.P.

Digà Collegii hunc temporis Præsidè.

Rogatu Auditorum Edita.

LONDINI:

Impensis S. AUSTEN, in Vico Newgatensi.

MDCCXLIII.

MATTH. X. 16.

Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς, ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων· γίνεσθε οὖν φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί.

Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum: estote igitur sapientes, sicut serpentes; & simplices, sicut columbæ.

HÆC verba sunt pars Orationis à Servatore nostro habitæ ad Apostolos suos modò electos, divinâ ipsius auctoritate donatos, ac munitos, & prædicatum Evangelium jam tum mittendos; quâ instruit eos, & cohortatur, iisque in mandatis dat, quibus potissimùm observatis opus sit, ut officio quàm optimè fungerentur. Tantùm abest ut celet eos, vel dissimulet, quæ imminuere, in munere tam arduo atque difficili exequendo, pericula & calamitates; ut prædicat mala ista omnia, imò fusè ac sigillatim describat, verbis Textum proximè sequentibus. Calamitatibus quidem prædictis adjungit consolationem, hanc illis identidem immiscens. *Cavete verò*, inquit, *ab hominibus; tradent* Ver. 17. *enim vos in concilia, & in synagogis suis flagellabunt vos; etiam ad principes & reges ducemini propter me, in testimonium ipsis, & gentibus.* Dura hæc, & tristia; sed præsto est solamen. *Quum* Ver. 19. *autem tradiderint vos; ne suis soliciti quomodo, aut*

quid

quid loquamini: Dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini. Terribilia iterum quæ ſubjungun-
Ver. 21, 22. tur: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium; & inſurgent filii adverſus parentes - - - & eritis exoſi omnibus propter nomen meum.*
Ver. 22. Terribilia, inquam, iſta; ſed ſequuntur hæc: *Qui autem perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Ut vires animumque ulterius addat, in memoriam illis revocat ſuum ipſius exemplum; argumentaturque non eſſe ſperandum Sectatores ſuos malorum
Ver. 24, 25. quæ ipſe paſſus fuerat immunes fore. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neque ſervus ſupra dominum. Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter, & ſervo ut ſit ſicut dominus.* Sanè proculdubio, ſanctiſſime Jeſu; *ſufficit*, ut quod minimum loquamur; & iniquiſſimum eſſet quiddam amplius
Ver. 25. expectare. *Si ipſum patremfamilias vocaverunt Beelzebub, quanto magis domeſticos illius?* Quàm juſto jure applicari hoc poteſt fidelibus Chriſti miniſtris, veris atque germanis Apoſtolorum ſucceſſoribus, in omnibus Evangelii ſeculis; quanquam non æqualiter omnibus, ſed quibuſdam potius quàm aliis? Quandocunque paſtores Eccleſiæ, propter paucorum crimina, damnantur univerſi, tanquam bipedum nequiſſimi; infamantur, & calumniis impetuntur, tanquam generis humani peſtis, ac pernicies; cùm certo certius ſit, idque teſtentur ſibi accuſatorum ipſorum conſcientiæ, vitam, abſque illis eſſet, etiam civilem ferè nullam fore, ſed homines in belluas mutatum iri; quanto recreati

ſolatio

ſolatio repetunt, ſibique in animo revolvunt, verba ista beatiſſimi Domini sui, & Redemptoris, cujus ministri ſunt, & ad cujus exemplum, tam patiendo, quàm agendo, ſe ſemper debent componere; *Diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum*, cæteraque ſuperius citata! *Ne timete igitur eos* (ſic pergit Dominus) Ver. 26, 27, 28.
Quod dico vobis in tenebris dicite in lucè
Et nè metuite hos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed metuite illum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennâ.

Sed tametſi fortitudinem illis hoc modo inſpirat, ne officio ullatenus deſint ſuo; tamen eodem tempore monet ne quid temerè agant, ſeſeque periculis non neceſſariis objiciant; ut prudentes non minùs ſint quàm innocentes, id quod facit (ut alia eôdem pertinentia in hoc capite omittam) hiſce verbis quæ præcipuè diſcutienda ſelegi: *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum: Eſtote igitur ſapientes, ſicut ſerpentes; & ſimplices, ſicut columbæ.* Sicut *oves*; h. e. imbelles, invalidos, inermes: *In medio luporum*; inter malos ſcilicet, & nefarios homines, qui, nullo non tempore, & numero valent, & potentiâ; præſertim verò iſtis temporibus, inter Chriſtianiſmi hoſtes infenſiſſimos, ac perſecutores, tum Judæos, tùm Gentiles; quibus Apoſtoli, aliique Evangelii ſatores, undique fuerunt obſeſſi. *Eſtote igitur ſapientes*; i. e. cauti, prudentes, in periculis declinandis, quatenus cum officio veſtro ſtare poſſit; in iiſdemque tam prudenter quàm patienter perferendis, quando ſalvâ conſcientiâ non ſunt declinanda.

Sicut ſerpentes: Animantium ſpecies ſagax præ brutis omnibus habita; ſecundum iſtud quod legitur *Gen.* iii. 1. *Erat autem ſerpens callidior cunctis beſtiis terræ quas fecerat Dominus Deus.* Verùm quoniam animal hoc ex naturâ ſuâ in primis noxium eſt, & Dei ipſius maledictione percuſſum, eò quòd tentationis ad primævos parentes noſtros deferendæ vehiculum ſive organum à Diabolo factum fuerit; monet Chriſtus imitandum eſſe illum ſagacitate ſolâ, nihilo præterea; ideoque ἀμίσως addit, ἢ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. Species animalium innocentiſſima quidem, ſed & inſipientiſſima: Simplicitas earum, ut denotat innocentiam, ab hominibus imitanda eſt; ut inſipientiam, evitanda. Ad ſummam igitur, concipere poſſumus dominum diſcipulos ſic alloquentem. Quandoquidem cum periculis difficultatibuſque conflictaturi eſtis, oportet ut prudentiam cum innocentiâ conjungatis; ut ſapientiâ ſerpentis, ſine illius fraude ac veneno, innocentiâ columbæ, ſine incautâ illius ſimplicitate, inſtruamini. Super hoc præcepto Servatoris noſtri mihi concionem habituro viſum eſt, tum de iis quæ ad omnes universè Chriſtianos, tum de iis quæ ad Clerum ſpeciatim ſpectant, pauca diſſerere.

Ad priorem claſſem quod attinet;

I. Diſquirendum eſt, quænam ſit natura Chriſtianæ Prudentiæ; ſive in quo virtus iſta conſiſtat.

II. Chri-

II. Christianæ Innocentiæ quinam sint fines, mensuræ, ac regulæ.

III. Ostendendum, quinam sit mutuus inter hæc duo nexus; sive quónam modo in se invicem agant.

IV. Probandum, utrumque in toto vitæ curriculo & regimine prorsus esse necessarium: Præsertim verò in temporibus, aliisque rerum conditionibus, sive circumstantiis, difficilibus, & periculosis. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum; estote igitur, &c.*

I. Quod ad primum; definitio Prudentiæ in genere, quam satis accuratam in Ethicis concinnavit Aristoteles, eruditis nota est; atque idcirco à me hic omittitur. Est autem Prudentia Christiana in specie Virtus mentis, sive intellectûs, per quam comparat fidelis Christi discipulus omnia ad salutem æternam pertinentia; animi motibus, atque affectibus imperat; vitæ actiones scitè dirigit; rectéque judicat, juxta normam veræ rationis, & sacræ scripturæ, de iis quæ, pro re natâ, & circumstantiis emergentibus, sibi facienda sunt, vel omittenda. Prudentia est virtus intellectualis; virtus, respectu *objecti*, quod est bonum morale; intellectualis, respectu *subjecti*, quod est mens, sive intellectus. Est enim eadem facultas discernens, dirigens, gubernans:

Discernere

Discernere verò, dirigere, gubernare, sunt actus intellectûs, non voluntatis: Neque exinde omninò sequitur, non esse eam penes nos, adeoque tractatibus practicis & moralibus non satis idoneam esse materiam: Est intellectus noster magnâ ex parte penes nos, non minùs quàm voluntas: Potest ille, non minùs quàm hæc, regi, ad amussim exigi, & studio atque industriâ in melius indies promoveri. *Monet* Servator noster, præcipit, jubet, quando dicit *estote sapientes*: Idem monet ac præcipit merorum hominum sapientissimus, cœlesti etiam Spiritu inspiratus; *Posside sapientiam; & omni acquisitione tuâ acquire prudentiam.* Prov. iv. 7. Deum verò præcipere, ac jubere, ut id faciamus quod facere non possumus, quis dixerit? Non est, concedo, prorsus in nostrâ potestate; sed aliquatenùs tantum: Requiritur divinæ gratiæ auxilium; sed de omni bono, etiam de Voluntatis virtutibus, non minùs quàm Intellectûs, idem pariter dicendum est. Nimius essem, imò molestus, si de Prudentiâ, quatenùs ad finem spectat, quatenùs ad media, de fine principali, & subordinato, mediisque ad utrumque requisitis, de Deliberatione, Consultatione, Electione, Executione, aliisque vulgaribus, & quasi è trivio petitis, coram tali Conventu verba facerem. Hæc igitur, multaque istiusmodi, sicco pede prætereo; & ad id transeo quod secundo in loco propositum fuit, nimirum, ut dispicianus

H. Chri-

II. Christianæ Innocentiæ quinam sint fines, mensuræ; & regulæ. Manifestius est quàm ut probatione indigeat, innocentiam hîc non intelligi sensu maximè proprio, sive perfectam ab omni peccato, & culpâ immunitatem. Nemo hominum usque adeò innocens unquam fuit, vel esse potest; uno excepto, qui & homo est & Deus. *In multis, offendimus omnes*, ait Apostolus Jacobus; Ecclesiastes, *Nemo est qui non peccat*; Psalmistes, *Delicta* Jac. iii. 2. Eccles. vii. 20. Psal. xix. 12. *suâ quis intelligit? Ab occultis meis munda me.* Ut innocentes itaque simus, juxta mentem Textûs, veræque rationis & virtutis normam, vita à nobis ità instituenda est, ut nobismet jure applicare queamus, quod de seipso S. Paulus in suâ adversus Tertullum defensione; *In hoc me exerceo, ut conscientiam semper habeam sine offensâ, erga Deum, &* Act. xxiv. 16. *erga homines.* Talem enim habere possumus, nec tamen omnis culpæ prorsus expertes esse. In peccata infirmitatis, & quotidiani incursûs (ut loquuntur Theologi) incidere possumus; nec tamen, si modò adsit generalis (quod aiunt) pœnitentia, conscientiam violare: Id quod gravioribus peccatis nunquam facere debemus; vel si facimus, oportet ut vulneribus conscientiæ inflictis illico, & sine morâ, omni curâ & studio, mederi satagamus. Ut verbo dicam; innocens est sensu hoc laxiori, & minùs proprio, qui omni officio suo sincerè, licèt non perfectè, fungitur; nihil consultò facit, quod malum & illicitum esse vel novit, vel probabiliter

 suspicatur;

ſuſpicatur; omnia principia, opportunitates, occaſiones, omnem etiam umbram, vel ſpeciem mali quantum fieri poteſt, deviat; ſeſeque (ut præcipit Apoſtolus Jacobus) *immaculatum à ſæculo cuſtodiat.* Jac. i. 27.

Pauca hæc de Prudentiâ, & Innocentiâ, ſeorſim ſumptis: Oſtendendum tertio, idque itidem breviſſimè,

III. Quinam ſit mutuus inter hæc duo nexus, ſive quomodò in ſe invicem agant. Stare illa ſimul, & optimè convenire, ex dictis liquet: Sed multò arctiori (quod nunc aſſerimus) neceſſitudine conjunguntur. Coexiſtunt ut cauſa & effectus, ſeſeque invicem involvunt. Prudentia eſt origo & radix virtutum moralium; virtutes morales ſupponunt Prudentiam. Atque hinc eſt quòd voces *ſapientia*, & *ſtultitia*, pro *virtute* & *vitio* paſſim uſurpentur (per Metonymiam effecti videlicet) in Libro Proverbiorum, aliiſque ſacræ ſcripturæ locis innumeris. Prudentia ad pietatem, cæteraſque virtutes ingenerandas, adeò apta nata eſt; ut *ſine* illâ pii & boni *eſſe*, *cum* illâ pii & boni *non* eſſe nequeamus. Æquè expectandum eſt ut cernamus ſine oculis, atque ut virtutes morales conſequamur, & exerceamus, ſine Prudentiâ. Niſi rectè judicemus, rectè eligamus, omnibus & corporis, & animi motibus rationis imperio moderemur; planè fieri non poteſt ut verè boni, & Chriſtiani evadamus; ſicut contrà fieri non poteſt ut rectè judicantes, cæteraque facientes quæ jam diximus, tales

non evadamus. Non magis necessariò fluit lumen à sole, quàm virtus à vera sapientiâ. Qui rectè judicat, eligitque, rectè agat necesse est. Is est nexus inter Intellectum & Voluntatem, inter Prudentiam & Innocentiam. Atque, ut quarto & ultimo loco ostendendum est,

IV. Utrumque, in toto vitæ curriculo & regimine, prorsus necessarium est; præsertim verò in temporibus, aliisque rerum conditionibus, vel circumstantiis, difficilibus, & periculosis. Virtus est necessaria, quia sine illâ felicitatem; prudentia, quia sine illâ virtutem adipisci non possumus. Prius per se manifestum est; posterius manifestè consequitur ex iis quæ præcedenti capite diximus. Necessarium ergo est utrumque; & Prudentia, & Innocentia: Idque omni tempore; præsertim verò (uti diximus) in temporibus, aliisque rerum conditionibus, & circumstantiis, difficilibus, & periculosis. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum; estote* IGITUR *sapientes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Si accuratissimè loqui velimus; nulli sunt, fateor, absolutæ necessitatis gradus. Hoc tantummodo affertum volumus, Prudentiæ, cæterisque virtutibus, occasionem dari se exercendi, iisdemque exertis opus esse, in quibusdam temporibus, quibusdam rerum circumstantiis, potiùs quàm aliis. Quanquam, abstractè vel simpliciter consideratæ, semper sunt ex æquo necessariæ; non tamen ex æquo semper necesse est ut reapse circa

objectum

objectum ſuum verſentur & occupentur. Quæ res duæ inter ſe plane differunt. Sic e. g. oportet ut Miles ſemper ſit fortis; ſed tunc temporis præcipuè, quando collatis ſignis prælium committitur. Brevitèr, *Habitus* virtutum ſemper ſunt æqualiter neceſſarii; *actus* non item. Harum verò, de quibus nobis ſermo eſt, actus nunquam magis ſunt neceſſarii, quàm quando columbæ innocentia non impedit quò minus opus ſit ut utamur ſerpentis ſapientiâ: Quando in medio non luporum tantùm, ſed & vulpium verſamur, quando nobis res eſt cum hominibus ſceleratis, aſtutis, malitioſis; ſumma exigitur prudentia innocentiæ addita, ne quid ex alterâ parte contra Charitatem Chriſtianam, quodque hominem benè moratum & liberè eductum decet, vel dictis, vel factis, peccemus; ex alterâ, nè cauſæ Dei, & dignitati noſtræ tuendæ vel tantulum deſimus; ut præceptum Apoſtoli obſervemus, *Si fieri poteſt, quantum in vobis eſt, cum omnibus pacem colite*; nec tamen hoc, ſine judicio, perperam obſervantes, alia præcepta non minùs Evangelica ſuſque deque habeamus. Erit ſemper in quo occupenter Sapientia noſtra, & Integritas; alterâ ut defenſioni ſit nobis, altera ſolatio; ad iſtam quam alibi tradit idem Apoſtolus regulam vitam exigentibus: Βλέπετε οὖν πῶς ἀκριβῶς περιπατεῖτε: μὴ ὡς ἄσοφοι, ἀλλ' ὡς σοφοί: ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ὅτι αἱ ἡμέραι πονηραί εἰσι.

Rom. xii. 18.

Eph. v. 15, 16.

Atque hæc in univerſum dicta ſunto, ad omnes Chriſtianos, tam Laicos, quam Eccleſiaſticos, ſpectantia; nunc ſeorſim ad Clerum. Apoſtolis proximè

proximè ac directè traditum est hoc Præceptum; & ad eorundem successores præ cæteris, in omnibus Evangelii seculis, pertinet: cùm, quantumvis innocentes, & prudentes se præbeant, multi (in malis præsertim temporibus, maximè in pessimis) non sint defuturi, qui quicquid fere agunt, aut patiuntur, vel calumniis ac mendacijs contra justitiam malignè detorqueant, vel insciè, & sine judicio, censuris notent. Ut ab Innocentiâ ordiamur; hîc si multus essem, communi loco nimis immorarer, in aream nimis latam excurrerem. Quotusquisque est qui nesciat, præter officia omnibus communia, Clericis quàm Clericis gravius atque superius officium incumbere; exigi ab iis peculiarem quandam vitæ sanctimoniam; multas, inter res per se indifferentes, quæ aliis licent, illis non licere, ut evitent scandalum, nec offendiculo sint infirmiorum conscientiis; prædicandum esse Evangelium illorum non doctrinâ tantùm, sed & moribus, ut exemplo sint gregibus sibi commissis; quicquid denique ab Ecclesiæ præfectis peccatur multò magis criminosum fieri, multùm augeri, atque inflammari, eo ipso quod *sint* Ecclesiæ præfecti? Pii in primis esse debent, probi, sobrii, casti, justi, mansueti & mites, pro facultatibus suis hospitales, & in pauperes munifici, fortes denique, & impavidi. Fortes, inquam, & impavidi; atque hîc excidit comparatio inter nos & columbas. Innocentes quidem sunt columbæ, sed timidæ & imbelles; Christianus verò, nedum Christianus sacris initiatus, innocens esse nequit, si sit

timidus. In militiâ versantur omnes qui Christo nomina dederunt; sed ii præcipuè quibus commissa est cura animarum; hi non modò milites sunt, sed duces etiam, & imperatores; animis ergò & pectore firmo his maximè opus est; præsertim (quod utique sæpius repetendum est) in temporibus malis: quando dilacerantur oves Ecclesiæ à lupis sub formâ & specie non una apparentibus; aliis apertè rapacibus, alius ovium amictu indutis, imò nonnunquam (quod pejus, & periculosius) Pastorum. *Scio enim* (inquit magnus Apostolus Presbyteros Ecclesiæ Ephesi alloquens) *quod post decessum meum intrabunt inter vos graves lupi, non parcentes gregi. Quin & ex vobis ipsis exurgent viri, loquentes perversa, ut abducant post se discipulos.* Act. xx. 29, 30. Non tantùm probitatis, sed fortitudinis etiam opus est, illorum palam grassantium atque prædantium rabiei obviam ire, hos clanculum insidiantes, non minùs tamen rabidos ac voraces, furtivis nudare pellibus, gregique universo detestandos, & irridendos detegere.

Quantum ad Prudentiam, illa certè homo Dei (si quis alius) Ω ἀνθρωπε τοῦ θεοῦ, ταῦτα φεύγε, διώκε δὲ δικαιοσύνην, εὐσέβειαν, πίστιν, ἀγάπην, ὑπομονὴν, πραϋπαθίαν, 1 Tim. vi. 11. instructus esse debet; cùm munus sortitus sit publicum, atque omnium oculis expositum; cùm provinciam perquam arduam, difficilem, periculosam, susceperit administrandam; lubricis semper vestigiis insistens, insidiis multis, isque infestissimis, obsessus; qui ipsius lapsibus nunquam non invigilant, nihilque prætermittunt, ut quem tanto

pere oderunt, inopinantem opprimant. Prudentes itaque simus, sive sapientes, non astuti, sive callidi: Imò verè sapientes esse nequeunt; qui sunt callidi. Simia tantùm sapientiæ est calliditas; non solùm Christi Ministro, sed Christiano, Viro, Homine, indigna. Neque acumen mentis magis indicat, quàm cordis probitatem; utcunque se efferant vafri, & veteratores, quasi ipsis verè tribuendum sit quod Adversariis suis ironicè Jobus; *proculdubiò vos estis viri, & vobiscum morietur sapientia.* Ex modicâ sensûs communis portione, multâ nequitiâ, & fraude adjunctâ, conflatur universum id quod astutia, vel vafrities appellatur. Multi hominciones, ingenii satis tardi, & crassi, sunt quidem callidi; sed non magis sapientes quàm boni; quin & factis suis sæpenumerò probant inesse sibi calliditatem plusquam serpentinam, fatuitatem plusquam columbinam. *Quæ supernè est* (ut ait Apostolus Jacobus) ea sola vera est *sapientia.* Job xii. 2. Jac. iii. 17.

Sed supersedendum est supervacuo labore plura *disserendi*, sive *ratiocinandi*, in Argumento tam manifesto: Quæ supersunt petam ab *Historiâ*, & *Exemplo* unius viri; cujus exemplum ideo potissimùm seligendum duco, quòd vix quisquam hominum, tam dum viveret, quàm post mortem, ità contumeliosè habitus, tot iniquis calumniis impetitus unquam fuisse mihi videatur. Venerandum Præsulem Laudum intelligo. Erat ille vir prudens, & sapiens. Hîc videor innumeros audire reclamantes mihi, & obstrepentes,

ſtrepentes, tanquam falſiſſimum quiddam, atque abſurdiſſimum temerè effutienti. Sapiens ille, ac prudens? Maximè, inquam ego. Ingenio & Eruditione valuiſſe eum, fatentur (quod, fateantur, neche, omnibus notiſſimum eſt) etiam ex hoſtibus ejus nonnulli; ſapuiſſe nequaquam. Quamobrem? rogo. Quia nimirum in illo ineranſ innocentia, probitas, pietas, zelus, ſinceritas, fortitudo; quæ omnia videlicet cum ſapientiâ ſtare non poſſunt. Hæc (quis tam excors, ut inficias iverit?) *Non benè conveniunt, nec in unâ ſede morantur.* Ut ſeriò agam; hoc ſi verum ſit, actum eſt de Textûs noſtri, adeoque de Jeſu Chriſti auctoritate. Non libros tantùm, ſed homines etiam, legit, & probè exploratos habuit Antiſtes nobiliſſimus; negotiis ſecularibus, juxta atque ſpiritualibus, ſemper occupatus, indefeſsâ induſtriâ ac diligentiâ uſus eſt; ſagacitate, & prudentiâ, Epiſcopus, Cancellarius Univerſitatis Oxonienſis, Archiepiſcopus, Regi à conſiliis, rebus multis præclarè geſtis, tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ civili, feliciſſimam operam navavit.

Veruntamen iracundiæ ſupra modum deditus fuit, & paſſionum æſtu abreptus. Id quidem aſſerunt multi; ſed contrarium prorsùs, me judice, ex ipſius ſcriptis, & factis, conſtat. Ad iracundiam propenſiorem fuiſſe illum vero abſimile non eſt; idem uſu venit bonis ac ſinceris pleriſque omnibus, præcipuè doctis & ingenioſis. Forſan etiam plus æquo interdum ſuccenſuit, & incaluit; imò quin nonnulla & dixerit, & fecerit, humanam

infirmitatem

infirmitatem redolentia, nullus dubito. Homo fuit: Sed cum per totum vitæ cursum ita se gesserit, ut supra diximus, quod res est, & omnes norunt; incredibile est, imò fieri nequit, ut in perturbatis animi motibus non moderandis talis esset, qualis à quibusdam fuisse fingitur. Certè id, nemo probè ista, quam apud nobilem Historicum, Clarendonium Comitem, utcunque vera sit, (& veram esse quoad summam non dubito) de illo legimus, satis prolixa Narratio: * quam ut Historiæ adeò excellenti intexeret miror Virum tantum, tam gravem, & bonum, sibi in animum inducere unquam potuisse. Liceat, pace vestrâ, coram tali, qualis hic est, coetu, (si ita esset, non sum nescius, minus deceret) Narrationem istam aliquantisper expendere; eùm res non exigui momenti, qualiscunque primâ facie appareat, esse videatur.

Regi, si placet, erat in animo ingens quoddam agri spatium, Vivarium cervis alendis faciendum, muro includere: quod opus cum populo molestissimum atque ingratissimum fore prævideret Laudus, Regem ab illo diffuasum magnopere voluit. Idem profectò voluit alius quidam ex Atticis, vir nobilis, & Consiliarius sapientissimus; sed in colloquio cum Archiepiscopo hâc de re habito, ut eum ad futurem adsigeret, omnibusque deridendum propinaret, (quàm generosum hoc! gravitate Consiliarii sapientissimi quàm dignum!) simulavit sibi longè aliam esse sententiam; quin & dubitare se an læsæ majestatis, &

E majoris

* Histor. Clarendon. Lib. I. *sub finem.*

majoris proditionis (ô bellas facetias!) non esset postulandus, qui Regem ab obsectamentis suis, adeoque à corporis sanitate curandâ, deterrere conaretur. Compos voti scilicèt factus est secundus ille in rebus politicis Machiavellius. Acerbissimè irascitur Archiepiscopus, sævit, conviciis vehementissimè in eum invehitur; (quæ duo posterius memorata, ut obiter id notem, non credo) Regem adit, clamat, stomachatur; ait se jam scire quemnam pernicioſi istius Consilii auctorem habuerit. Mi Domine, inquit Rex, data verba sunt tibi; deceptus es; vicit te Cottingtonius: Nemo, magis quàm ille, ab hoc me instituto dehortatus est. Vides, injusta tua indignatio, & imprudentiæ tuæ fervor, quo impetu te abripuerit. Hæc historicus. Sed ne verbum quidem de Archiepiscopi Responsione. Videor mihi hæc respondentem audire; exceptis verbis uno & altero, quæ Aulicos, præsertim Regem alloquentes, non decent, rem ipsam licèt optimè exprimant. Ecquid, obsecro Majestatem vestram, mihi vitio hîc vertendum est? Succensui, haud nego; at gravissimâ de causâ: Sed non sævii; iræ rationis imperium excutere non permisi: Imposuit, ille mihi, fateor; fefellit me; sed quomodò vicerit, planè nescio. Quid revera ipse senserit, mecum licèt omninò consentiens, dissimulavit; ut fucum mihi faceret, ut ludificaretur tantummodò: *Egregiam verò laudem, & spolia ampla!* — Certè non video quid notæ inustum sit prudentiæ meæ; si viro tam nobili, tantæ gravitatis, sapientiæ, auctoritatis, seriò affirmanti crediderim:

Ille

Ille contrà quantos velit agat triumphos, quòd insulsissimum mendacium, vel pueris ridendum, jocilocò, mihi obtruserit. Jocari in re tam seriâ βωμολοχεῖον ἐστιν, me judice, parùm decet: vel si deceret, crassissimè tamen mentiri non est ingeniosè jocari.

Vereor, nè ridiculæ huic historiunculæ, (quæ, cùm à tanto viro, quem summoperè veneror, scripta sit, me semper malè habuit) Præsulisque quàm plurimùm honorandi vindiciis, ac defensioni, nimis diù immoratus sim. Sed veniam me impetraturum non despero; cùm ad Argumentum, quod præ manibus habemus, illustrandum apprimè conducat; cúmque omnis ferè generis homines, hâc nostrâ ætate, ipsi licèt in partes abeant diversissimas, seseque invicem hostili odio prosequantur, in hoc penè uno conveniant, quòd sancti istius Martyris memoriam conviciis proscindant, tanquam scelestissimo maledicant, tanquam stolidum derideant; etiam sanguine ejus, centum jam abhinc annis fuso, inhumanum furorem nullatenùs emolliente.

Dixi, hâc nostrâ ætate; & qualis (Deus bone!) hæc ætas! Qui mores, quæ tempora! Quæ nequitia, quæ fatuitas, quæ insania, quæ miseria! Tempora! in quibus ita certant atrocissima omne genus scelera cum stupidissimâ vecordiâ, ut an flagitiosiores sint homines, an stultiores, difficile sit dictu; & cum religione, ac probitate, etiam ratio & sensus communis terram reliquisse videantur. Quid aliud hoc dicendum est, nisi (ut Scholasticè loquuntur Theologi) *judicialis infatuatio*, in supplicium nobis

cœlitùs

consilio dempsit; secundùm istud quoque Ethnici sunt
justissimi Scriptoris tritissimum, *Quis perdere vult Jo-*
piter, prius dementat. Quis est, in tam deplorando
rerum statu, qui innocentiâ columbæ præditus il-
lius alas etiam sibi addi non optet; exclamans cum
Psalm. lv. 6. Psalte, *Quis mihi dabit pennas columbæ, ut avolem,*
& requiescam? Verumtamen interè, ejusmodi votis
& cogitationibus indulgendum non est: Stationem
nostram deserere ne cupere quidem debemus; sed
fortes persare tam patienter, quàm agendo. Secus
si faciamus, nec prudentes esse possumus, nec in-
nocentes. Animum neutiquam despondeamus, con-
fidamus in Deo, officio nullâ ex parte desimus;
Ibid. ver. 7. oppressis mentes à *procellosi venti, & tempestate,*
in regione hâc inferiori sevientes, ad serenam quæ
Heb. xii. 2. in cœlo est tranquillitatem erigamus: *Respicientes ad*
Christum, auctorem & consummatorem fidei nostræ,
qui propter gaudium sibi propositum crucem passus
est, confusione contempta, sedetque ad dextram throni
Dei: Effati etiam illius Prophetici semper memo-
Dan. xii. 3. res, *Qui autem sapientes fuerint, vere sapientes, hoc*
est, prudentes, simul & innocentes, fulgebunt quasi
splendor firmamenti, & qui multos ad justitiam
erudierint, sicut stellæ in æternum.

Sanctissimæ atque individuæ Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui Sancto, tribus Personis, & uni Deo, sit omnis honos, laus, & gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

ERRATA.

P. 1. l. 13. [] [illegible] P. 8. l. 4. [] in [,]. P. 9. l. 2. [;] in [,]. P. 10. l. 2. post *mali* adde [.] P. 12. l. 21. lege *audit*. P. 15. l. 3. mutetur [;] in [,].